SAL VIPERARUM VOLATILE.

R. Viperarum exſiccatarum q. v.

Deſtillentur ut cornu cervi.

Usus. *Ad morſum viperæ gallicæ & caudiſonæ eſt præſentiſſimum remedium.*

SAL CORNU CERVI VOLATILE.

R. Fragmentorum cornu cervi q. v.

Fiat deſtillatio igne gradatim aucto; adſcendent ſpiritus, ſal, & oleum. Oleo ſeparato ſal & ſpiritus ſimul miſti iterum leniſſimo calore & caute aliquoties deſtillentur, ut uterque purus evadat; ſpiritus nempe inſtar aquæ limpidus, ſal autem candidiſſimus.

Usus. *Uti omnia alcalina ad mala a ſcrophulis vel acrimonia acida orta, conducit.*

SPONGIÆ PRÆPARATÆ.

Spongiæ pro uſu chirurgico ſic parantur.

SPON-

SPONGIA PRÆPARATA.

Spongia tenuis exſiccata ac repurgata ceræ flavæ liquefactæ imergatur, ac fortiter exprimatur.

Usus. *Exinde ſcindantur turundæ parvæ, quæ* dilatatoriæ *vocantur, anguſta etenim vulnerum, ulcerum, ac fiſtularum oriſicia intumeſcendo dilatant.*

AGARICUS PRÆPARATUS.

Agaricus e caudice quercus collectus, a cortice externo albo & duro, nec non fiſtuloſa ſubſtantia ſeparatus, diſciſſus, mellei ictibus ſubmittatur, donec adeo molleſcat, ut in minores partes diſcerpi queat.

Usus. *Eſt remedium ſtypticum ſi arteriæ vulneratæ ipſi lamellatim imponi poteſt.*

BOVISTA PRÆPARATA.

Parenchyma molle, ſpongioſum ac pulverulentum, quod ſub cute externa hujus fungi eſt, ſeparetur, ac conſervetur.

Usus. *Ad ſiſtendum ſanguinem arteriæ vulneratæ imponitur.*

PRÆ-